COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI,

ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI INSTITUTA ANNO 1824.

QUÆSTIO.

DANTURNE ARACHNITIDIS CUM ACUTÆ,

TUM CHRONICÆ, CERTA SIGNA?

THESES

Quas Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus publicis competitorum disputationibus subjectas tueri conabitur, die decimâ sextâ mensis januarii, anno 1824.

ANTONIUS DELONDRE,

PARIENSIS FACULTATIS DOCTOR MEDICUS.



PARISIIS,

EX TYPIS BALLARD, REGIS TYPOGRAPHI, VIA J.-J. ROUSSEAU, N°. 8.

1824.

COMPETITIONIS JUDICES.

DOCTORES MEDICI :

ESQUIROL, præses, Universitatis inspector primarius.
LANDRÉ-BEAUVAIS, scholæ director.

	Vices gerentes :
RÉCAMIER.	
FIZEAU.	
BERTIN.	FOUQUIER.
CAYOL.	
ROYER-COLLARD.	KERGARADEC.
JADIOUX.	
ALAIN.	PARENT.

QUÆSTIO.

DANTURNE ARACHNITIDIS CUM ACUTÆ, TUM CHRONICÆ, CERTA SIGNA?

RESPONSIO.

DESCRIPTIONEM arachnitidis in variis auctoribus non attentè perleges, quin primùm hæc sequens cogitatio in animo deveniat, ipsosmet auctores, à suis frequentibus et constantibus hujusce inflammationis elucubrationibus quasi abreptos fuisse; et, ut ita dicam, maniâ quâdam, haud rarâ, affectos, varia deliriorum genera, et morbos, à nosologicis hucusquè perfectè distinctos, permiscuisse, atque in arachnitidem convertisse. Hæc enim mihi mens adfuit, cùm quasdam hujus serosæ membranæ inflammationis observationes, præcipiti lectione, percurrerem; sed cùm ad hunc morbum animum intendendi mihi sors occasionem præbuerit, necessitate coactus, arachnitidem cum phrenitide, tam lucidè à veteribus scriptoribus explanatâ, cum cæteris cerebri ac cerebelli læsionibus, cum hydrocephalo acuto puerorum, ac denique cum febribus atactis seu malignis, in unum conferre tentavi. His demùm perpensis, quæstioni propositæ, si non fallor, satisfecero.

Sed anteaquàm opus difficile incipiam, necesse profectò erit, ut lectori breviter illustrissimi *Bichat*, necnon recentiorum auc-

torum de membranis serosis in genere et præcipuè de arachnitide, tam anatomicè quàm pathologicè disquisitiones perutiles rememorem; postea descriptionem arachnitidis capitis et spinæ offeram; deindè comparationem instituam cum suprà dictis affectionibus; ac postremò fas erit conclusiones offerre.

Considerationes anatomicæ et pathologicæ.

Notandum est ante omnia diversos morbos systematis serosi, in genere, unum et eumdem characterem semper habere, ob evidentem analogiam et compositionem; nempè istud systema solum est cum synoviali, in quo nascantur serosæ collectiones et efformentur acerrimæ phlegmasiæ. In hoc tantùm videntur frequentissimæ adhæsiones, ipsius inflammatio præcipuam et propriam indolem offert : « *longè anteaquàm* (inquit Bichat) » *demonstraverim arachnoïdem, unam ex meningibus,* » *circa systema serosum essentialiter pertinere, jam aliqui* » *auctores inflammationem meningum intra phlegmasias* » *serosas collocaverant, solæ analogiæ symptomatum confi-* » *dentes.* » Hanc igitur ad membranam serosam et non ad duram matrem quæ fibroso ingenio fruitur, et minimâ gaudet sensibilitate, referenda est arachnitis.

Membranæ serosæ frequentissimè ad sympathiam vergunt cum aliorum organorum affectionibus pathologicis; hæc propositio manifestè demonstrata est in morbis *cordis*, *pulmonum*, *hepatis*, *lienis*, *ventriculi*, *intestinorum*, *uteri*; sed præsertim arachnitis cum *pleuritide*, et *peritonitide* secundariè advenit.

Si symptomaticè fiat hydrops, liquor diaphanus oritur, nullo exstante discrimine in serosis membranis, et semper integræ inveniuntur; in hoc casu secretio tantùm aucta est.

Si contrà idiopathicè afficiantur, ut in inflammationibus acutis; sectis cadaveribus, rubræ, granulosæ, adhærentes, et spissæ inveniuntur; tunc liquores turbidi, lactescentes et frequentissimè falsæ membranæ, albuminis concreti instar, obser-

vatoribus offeruntur. Prorsùs eadem adnotatio spectat mucosi systematis phlegmasiam.

Descriptio Arachnitidis capitis.

Arachnitis, vox græca, definitur inflammatio serosæ obtegentis cerebrum membranæ, cujus nomen *arachnoides*, et sic melius *arachnoiditis*, sed prævaluit ex usu et non verbi proprietate *arachnitis*.

Arachnitis dividitur in idiopathicam et symptomaticam, in acutam et chronicam. Si perpetuum delirium, à cerebro primùm affecto, cum febre acutâ, continuâ oritur, vocatur arachnitis idiopathica. Si à malo, aliundè in cerebrum delato, arachnitis symptomatica dicitur. In idiopathicâ verò notandum est cerebrum primariò affectum esse; id est, morbi causam non alio corporis loco natam, et indè in cerebrum delatam fuisse, sed in membranâ serosâ, præcipuè ob ejus indolem, à primo initio morbi adfuisse. In utroque casu eadem pars affecta est simili inflammatione, et in curatione hæc distinctio parvi equidem momenti est, maxima eadem indicatio, venæ sectiones; tantùm prodest in diversitate variorum quæ adhibentur juvantium juxta partes primariè affectas, et ad revulsiva tantùm spectat, quæ nunquam negligi debentur, ut in *Arthritide*, exempli gratiâ, convenit, necnon in subitaneâ suppressione fluxûs hæmorroidalis et catamenialis.

Causæ. Ætas juvenilis, aer æstivus, crebrior ebriositas, et abusus potuum generosorum, in specie vini et alcoolis, nos reddunt admodùm promptos uti ad febres ardentes, ita etiam ad deliria et arachnitidem; idem morbus fit à suppressione hæmorroidum aut fluxûs mensium; huic inserviunt vigiliæ, strenui studii labores, insolatio. Ad hunc graviores animi affectus pertinent: quos inter in specie primatum obtinent, nimius et præmaturus veneris usus, mæror, ira, quæ admodùm nos disponit ad febres

acutas, ipsisque conjuncta deliria : denique capitis singularum partium ictus aut vulnera.

Symptomata. Antecedunt calor, dolorque internus capitis ingens et inflammatorius, dispositio quædam inflammatoria, rubor oculorum, faciei, fletus involontarii, lassitudines, anxietas.

Imminens delirium ferè patet ex quâdam garrulitate insolitâ, et nimiâ loquendi promptitudine plus minusve audaci; sicut et, imminente delirio, insignis mutatio morum adesse solet; ita ut, si is, qui aliàs fuit mitis et facilis in respondendo, fiat nonnihil ferox et temerarius, aut proclivis ad iram; et qui anteà fuerit compositis moribus, et quietus in lecto, jam fiat inquietus; item si is, qui aliàs est taciturnus, evadat loquax; si corpus indecorè moveat; si eorum, quæ legerit vel locutus fuerit, subito obliviscatur; si eumdem sermonem sæpiùs citra rationem repetat; item si vigiliæ aut cephalalgiæ pertinaces adsint, aut saltem somnus interruptus et turbulentus præcesserit. Jactitant membra variè, et mille inconcinnitates solent exercere actionibus, et sermonibus. In talibus casibus delirium imminere patet.

Invadente morbo. Quód si verò jam dicta deliria adsint, ægri solent esse morosi, varia incondita loquuntur, ex lectis prosiliunt, fiunt sæpè furiosi; accedunt his simul urina primò crassa, mox tenuis et diaphana, capitis tactus calidior, item oculi solito splendidiores et quasi fulgidi et igniei, fiunt aliquantisper mobiliores. Colores varii, ante oculos apparent, et objecta peregrino colore vestita. (Visitavi ægrum malignâ febre correptum, licèt aliàs benè se haberet, dicebat « me indutum esse pallio et veste cæruleâ »; omnis enim niger color cæruleus illi videbatur). Horror et rigor præcedentia signa comitantur.

Crescente morbo. Alvi dejectiones, et urinæ interdùm sine sensu effluunt; manus perpetuò capiti admovent, et vario motu agitant hinc et indè, sicque dolorem immanem denuntiant. Accedunt prætereà interdùm convulsiones; ad hæc pulsatio adest vehementissima in et circa caput; arteriæ enim carotides quàm impetuosissimè pulsant. Vomituritiones et vomitus, ratione inflammatæ

arachnoïdis, adsunt; sputatio frequens in adstantes; tremor; aliquandò fœx alvi et urinæ interceptæ; permutatio symptomatum perpetua, (Ataxia). Mox in pejus ruunt descripta symptomata; incedunt stupor, sensuum profunda obliteratio, oculi extincti, sudores frigidi et viscosi, animi deliquia, apoplexia; *mors.*

Porrò discrepant symptomata secundùm sedem et inflammationis extensionem. Rarò tota membrana serosa afficitur : aliquandò, maximè in adultis, duo aut unum hemisphæria tantùm corripiuntur; sœpiùs ad basim in infantibus sedem occupat. In primo casu, deliria et convulsiones adsunt; secundum verò oculorum motuum perversio, cœcitas, et surditas denuntiant. (Parent et Martinet).

Diagnosis. Causæ et symptomata ritè explorata morbi naturam elucidant. Cuilibet verò, prægressa attendenti, facilis fit symptomaticam inter et idiopathicam arachnitidem distinctio; signa autem pathognomonica, ut in paucis et analytice dicam, sequentia sunt: 1°. cephalagia immanis, continua et tam valida, ut cranium miseris dissilire videatur. 2°, Intellectùs abolitio, deliria. 3°. Perversio functionum relationi inservientium. 4°. Ataxia sensuum.

Prognosis. Arachnitis malum periculosum est et acutum, imò ut plurimùm lethale; intra quatuor aut septem dies terminatur ad mortem, raròque ad salutem, nisi per sudores, aut hœmorragiam narium criticam, solvatur; minùs periculosùm, cùm prava symptomata, à frequentibus sanguinis missionibus, ab origine, debellata, parùm in recessu habent. Jocosa verò deliria minùs funesta sunt, è quibus ægri facilè evadùnt.

Si difficillima respiratio, si facies cadaverosa, si rigor adsit et continuus dentium stridor, si floccos legant ægri, lethale est; et ut plurimùm moriuntur. Si caput sudet particulariter, sine alio corporis sudore; in specie, si sudor sit glutinosus et subfrigidus, si lipothymiæ, lethale signum.

In arachnitide symptomaticâ diutiùs sæpè morbus trahitur, et ad decimam et quartam, et vigesimam diem sæpè terminatur.

Aliquoties in maniam abit, cùm febris disparuerit, et sic ad chronicam transit.

Cessatio subitanea omnium pravorum symptomatum designat gangrænam; anteà furibundi, loquaces, protinùs quiescunt et somnolenti fiunt.

Si verò omnia symptomata paulatìm in mitius vergunt, boni præsagii erit.

Arachnitidis varii exitus. Morbus aliquandò, rarò tamen, per resolutionem terminatur; quam præsagiunt erethismi imminutio, respiratio liberior et facilior, alvi fluxus levans et criticus, urina hypostatica, sudor ex omni parte bonus, hæmorragia per nares copiosissima.

Mutari potest in morbum chronicum; hinc visûs hebetudo, cæcitas, surditas, mentis alienatio.

Desinit in lethargum, catalepsiam, apoplexiam, unde *mors* citò superveniens. (Capuron de phrenitide.)

Anatomia pathologica. Secta defunctorum cadavera meninges inflammatas, sinus duræ-matris denso nigroque sanguine infarctos, cerebri ventriculos sero plenos, arachnoïdem suppuratam aut gangrænâ vitiatam, ostendunt. (Capuron.)

Cranio sublato, sæpè gelatinosa quædam concretio animadversa est, quæ vasa sanguifera, per tenuem meningem reptantia à lateribus comitabatur. Eâ meninge ad basim cerebri laceratâ, exivit, in plurimis casibus, copia aquæ, colore et crassitie vaccinum serum referentis. (Morgagnus.)

Valdè turgent sanguinea cerebri vasa; ventriculi autem seri habent copiam plùs minùsve confertam. Aliquandò cerebrum totum sanum est.

Frequentissimè inter utramque meningem serum apparet, sero-sanguinolentus, sero-purulentus humor, aut etiam pus maturum.

Cerebro densa atque pœnitus opaca invenitur arachnoïdes.

Curatio. Hoc fuit veterum medicorum institutum, ut sollicitè notarint illa, quæ in morbis contingebant; sicque discerent fideli observatione, quibus modis morbi in salutem vel interitum tenderent; ut postea priora promovere, posteriora impedire vel mutare, idoneâ medelâ possint. Undè, *Hippocrates* adeò operosus fuit in semeioticâ parte medicinæ, atque salutarem artem tot regulis practicis, plurium sœculorum communi suffragio probatis, nobilitavit et auxit; quas tamen regulas ex morborum observatione collegisse videtur, uti apparebit unicuique, qui aphorismos cum illis contulerit, quæ in *epidemicorum* libris habentur.

Imò hanc fuisse medicæ artis originem optimè notavit *Celsus*, ubi de variis medicorum sectis tractans dixit : *Nec post rationem medicinam esse inventam, sed post inventam medicinam rationem esse quæsitam.*

Venæ-sectiones. Sanguinis turgescentia febrilis compescenda, imprimis sanguinem largâ manu mittendo, et repetitis vicibus ejus stagnationem, et indè natam cerebri membranarum inflammationem resolvendo ac maturè discutiendo. Per ipsam venæsectionem hoc præsertim notandum est: si ægro animi deliquium subsit, subindè digito foramen obturandum est, bis vel ter repetendo, donec sufficiens sanguinis quantitas sit extravasata.

Sanguisugæ. Post venæ-sectiones aptè veniunt sanguisugarum applicationes, in loco maximè dolenti, aut juxta aures, aut ad tempora, aut supra caput priùs abrasum. Sed præsertim maximi momenti sunt cùm arachnitis gignitur à suppressione variorum fluxuûm, nempè hæmorroidum aut menstruarum, et tunc ad anum, aut vulvam apponi jubeant medici.

Cucurbitulæ. Non neglexerunt istud auxilium veteres medici, et hodiè facilitas evadit quàm maxima, juvante mecanicâ cucurbitulâ. Applicandæ sunt temporibus, occipiti, parti cervicis posteriori, et scapulis. Earum revulsiva actio non in dubium mittitur, imprimis si, cum scarificationibus adhibeantur.

Balnea. Usus est præstantior, tepida sint, eodemque tempore caput refrigeratur cum aquâ frigidâ, congelatâ, aut ipsâ glacie; sed anteà radendum.

Sinapismata. Apponenda sunt ad inferiora membra, femora, Genua, tibiasque pedesque; attendendum ne dolorem capitis altiorem reddant; quapropter sinapem aliqui practici miscent cum seminibus lini molitis, tantummodò ruborem extensum fieri cupientes. Hæc methodus cæteris anteponenda.

Vesicantia. Per adhibita in arachnitide acutâ vesicantia, vidimus nocuisse magis quàm profuisse; cæterùm, longiorem usum res hæc magni momenti meretur. Adhibeantur præsertìm cùm mitescunt symptomata, et post sanguinis missiones; præcipuè ad femora, cruraque, et nunquam in capite imponenda.

Purgantia. Sanguis, ex retentis fæcibus, ad caput validè rapitur; necesse ergò erit alvum ducere per clysmata evacuantia, et per purgantia in os ingesta; sed nunquam vomitoria adhibito; his etenim ad cerebrum fluxus evidenter augetur. Intereà plurimùm purgativa remedia valent, solâ in longinquas partes derivatione, et stuporem avertunt.

Potus. Sint emollientes : decoctum hordei mellitum, serum lactis, infusa malvarum cum sirupis de citrino succo, aut grossulariis, emulsa cum glacie adstricta.

Si ex capitis ictibus aut vulneribus fiat Arachnitis, calvariâ fractâ, ubì festucæ osseæ pungunt meninges, et cerebri medullam vellicant, ad chirurgiam confugiendum est.

Hygienica Auxilia.

Caput sit erectum, situ ad cœli verticem respondente, ne solita positio congestioni faveat. In cubiculo ægrotantis, aeris temperatio debet esse paululùm frigida ac humida. Vestitu nimis calidiore non induantur ægri. His placet obscuritas, silentiumque.

De Arachnitide spinali.

Pauca dicam de Arachnitide spinali ne mea in longum trahatur dissertatio. Frequenter Arachnitidem cerebri comitatur, sed in parte tantùm superiori; inflammatio denotatur à sævis doloribus in regione cervicalium vertebrarum, et capitis à tergo violentâ tractione; his accedunt convulsivi motus in thoracicis membris. Ast tota aliquandò spinalis Arachnoides, privativè, ad inflammationem vergit, præcipuè ab externis causis, commotionibus, fracturis, atque luxationibus vertebrarum; illam insequuntur opisthotonos, et horrendæ convulsiones, per superiora et inferiora membra ductæ.

Curatio. Eadem est ac cerebri Arachnitidis, sed post venæsectiones multùm equidèm prosunt sanguisugæ numerosæ ad spinam, et in ipsâ parte emollientia cataplasmata, et anodina linimenta.

Comparatio Arachnitidis cum phrenitide.

Descriptio phrenitidis, tam græcè quàm latine à celeberrimis antiquitatis auctoribus et recentioribus antistitibus, Hippocrate, Galeno, Aretæo, Boerhaave, Vanswieten, Hoffmanno, Baglivo, Morgagno, et cæteris, unum et eumdem morbum et Arachnitidem peracutam demonstrant; horum enim pictura tam nobilis et praclara est ut (libenter fateor) de ipsorum prædâ locupletior evasus sim. Jam-jam iter mihi fecerant, et exemplum dederant novissimi gallici scriptores, qui satis superque ad elucidandam hanc affectionem, illustres medicinæ conditores deprædati sunt....

Differentia tantùm adest in eo quód veteres suprà dicti medici, ignorantes textarum et præcipuæ serosæ membranæ proprietates, omnia symptomata referebant phlegmasiæ meningum, medullam

cerebri obtegentium. Grates igitur persolemnes agantur genio nostratis Bichat, qui morborum investigationibus viam mirificè adaperuit !

Ergò phrenitidem inter et arachnitidem nullum omninò discrimen præbetur, *mutato nomine tantùm.*

Arachnitis comparatur cum variis cerebri læsionibus.

In quibusdam casibus inflammatio cerebri adest, nullâ exstante arachnitide. Talia demonstrat anatomia pathologica : sectis cadaveribus, hic pus et gangræna, illic sanguinea collectio et variæ pathologicæ productiones, integris meningibus, in lucem efferuntur. Sed in plurimis equidem casibus ob solam contiguitatem, arachnoïdes visa fuit simultaneâ phlegmasiâ affecta. Sic in cerebri affectibus quædam secundariè apparent signa arachnitidis, et, *vice versâ*, in arachnitide signa cerebri affectuûm sæpissimè sequuntur; imprimis numerantur absolutæ artuûm resolutiones, coma, animi deliquia, trismus, tetanos et catalepsis.

Arachnitis cum hydrocephalo acuto puerorum comparata.

Si attentè signa hujusce morbi in animo commemores, adhùc arachnitidis signa agnoscere non dedignaberis, si consideraveris plerùmque hunc morbum non ad arachnitidem acutam et idiopathicam, sed ad symptomaticam et subacutam pertinere. Huic enim læsioni conferenda sunt antecedentia : lymphatica et pituitosa (ut aiunt medicinæ principes) infantium constitutio, dentitionis creberrimi dolores, vermium in intestinis præsentia, et quamfrequentissimæ, ob gulam, mucosæ ventriculi et intestinorum membranæ inflammationes (gastro-enterites). In pueris igitur penè ad invasionem collectio seri efficitur; undè, et à compressione cerebri, coma et insensibilitas. Hinc obscura, vivente adhùc ægro, arachnitidis signa.

His insuper addam, in hydrocephalo congeniali, nullam præexstitisse inflammationem et tantummodò secretionem seri auctam perversis vasorum exhalantium et absorbentium functione et actione. Ita evenit in quibusdam ascitibus, in convalescentiâ morborum acutorum cùm ægri leucophlegmatiâ afficiuntur; ità eadem res, in secretione auctâ membranæ mucosæ in variis corporis partibus nullâ præeunte phlegmasiâ : naribus, faucibus, pharinge, larynge, trachæâ-arteriâ, bronchiis, stomacho et intestinis. Quæ læsiones sensibilitatis nullo modo, operæ pretio, flagitant inflammationem antecedentem, neque irritationem confusam nuper cum quâdam sub inflammatione, sed tantùm secretionem fortuitò auctam et satis per similem fluxui salivæ et succorum gastricorum per digestionem. Porrò fluxus absque morbo, neque ullâ morbidâ sensibilitate effici quis negabit hos posse?

Eadem doctrina elucet ex observationibus anatomico-pathologicis in hydrocephalis chronicis aut latentibus. Sed post primam infantiam aliter res agitur, et semper arachnitidis incessus patet, ut in pueris sic frequentissimè in senibus, capitis hydropem, nulla inflammationis signa prænuntiant.

De febribus atactis cum arachnitide comparatio.

Quanquàm à meâ cogitatione longè absit, ut vellem, omnium febris atactæ exemplorum arachnitidi similia demonstrare symptomata, quæ meliùs ad cerebri et cerebelli affectus referenda; (ut hoc fortassè à nepotibus, unâ conjunctis secundariè aliis aliorum viscerum affectionibus morbidis, existimabitur.) nihilominùs cum arachnitide certam anologiam monstrabo, captis, inter alias plurimas quibusdam observationibus, quæ, à præstantissimo nosologo *Pinel*, inter febres atactas aut malignas collocantur; sed præcipuè continuas eligam.

De his incipiens vir, etiam cæteroquin egregius et cujus opera

multoperè medicinæ alumnis huc-usquè proficientia sunt, verbis sequentibus sermonem aggreditur : « paucæ inveniuntur historiæ quæ magis idoneæ sint ad præbendam rectam febris atactæ continuæ ideam, imprimis si ipsius simplicitas adnotetur, quàm quinta decima *Hippocratis* observatio in libro tertio morborum vulgò grassantium. »

ÆGER DECIMUS QUINTUS DE MORB. VULG. Lib 3, sect. 8, pag. 203, (EDENTE FOESIO.)

Dealcis uxorem in Thaso, quæ in plano decumbebat, febris horroris sensu insignis et acuta ex mærore prehendit. Ab initio *autem pannis contegebatur, et ad finem usque semper taciturna fuit, manibus palpabat, evellebat, scalpebat, floccos legebat, lacrymas fundebat, moxque ridebat, somnum non capiebat, alvus irritata nihil demittebat, parùm neq nisi commonefacta bibebat. Urinæ tenues et paucæ erant, febres ad manus contactum leves apparebant, summa corporis frigescebant.* Nono die *multùm deliravit ac mox composita fuit et taciturna.* Decimo quarto *spiratio rara, magna longo tempore tenuit, rursùsque brevis.* Decimo et septimo, *irritatione turbulentâ commota est alvus, deinde potus ipsi pertransibant, neque consistebant, omnium sensum perdiderat, cutis erat distenta et arida.* Vigesimo, *multùm obloquebatur, ac mox composita fuit, vox defecit et brevem spiritum trahebat.* Primo et vigesimo, *defuncta est. Huic perpetuò ad finem usque spiratio rara et magna erat, nihil omninò sentiebat, semper pannis contegebatur, aut sermones multos fundebat, aut ferè usque taciturna erat. Phrenitide laboravit.*

Altera observatio excerpta est è dissertatione doctoris Desains et porrecta in nosographiâ, ut præclarum febris atactæ exemplum :

Juvenis annorum viginti, constitutione olìm robustâ præ-

ditus, sed ab aliquot mensibus à curis morosis et syphilitide debilitatus, decem diebus inter lassitudines et anorexiam peractis, protinùs febre acutâ corripitur, huic accedunt anxietas et diarrhœa. Secundâ et tertiâ die, *febris acutior, symptomatum auctio, plurimæ alvi dejectiones, ferox delirium, è lecto desilire nititur.* Quartâ die, manè, *alteratio faciei, oculi errantes et attoniti, stupidus risus, divagatio, pallidus vultus, semi-surditas, pulsus frequens et strictus, sed fortis, calor ad cutem intensus, lingua mucosa et subflava, diarrheæ imminuitas, urinæ abundantes et turbidæ.* serò, *stupor cum delirio alternans, obtusa sensibilitas, pulsus frequens, parvus, sed fortis; calor ad cutem aridus, lingua sicca et aspera.* Noctu, *frequentes nisus ad desiliendum de lecto et egrediendum foràs, vestes quærit, alvi dejectiones.* Quartâ horâ matutinâ, *delirium minuitur.* Quintâ die, *facies depressa, pupillarum dilatatio, palpebræ semiclausæ, delirium plus minusve auctum, tremor manuûm, tendinum subsultus, lingua tremula, odor fœtidus, venter distensus, eructationes, et per anum crepitus, diarrheæ cessatio.* Post meridiem, *lingua sicca flavaque, verba brevia, vox tremula.* Serò, nonâ circiter horâ, *facies pallida, oculi sursum intuentes, os adapertum, coma cessat, insequuntur validæ agitationes, et rursùs sopor, pulsus frequens, debilis et subsiliens, respiratio crebra, deglutitio difficilis.* Sextâ die, *eadem symptomata, lingua sicca et nigricans, caloris anomalia.* Post meridiem, *convulsivi et præcipites totius corporis motûs (vesicantia ad femora.)* Serò, *pulsus tumultuosus, sed debilis, per totam noctem stupor alternans cum typhomaniâ,*

Septimâ die, *faciei lividitas, nares et labiæ nigræ, maxillarum contractio (trismus), deglutio difficilis et aliquoties impossibilis, urinæ nullæ, regio hypogastrica tensa et tactû dolorifera, pulsus irregularis, semper frequens ac debilis; respiratio inæqualis, sudor viscosus faciei, collo, et pectori;*

pallor per totum corpus, Secundâ post meridiem horâ, *carus profundus, abolitio sensuum et motuûm perfecta, facies cadaverosa, oculi cavi, tempora depressa, retractæ aures, nares acutæ, stertor, pulsûs cessatio*, MORS.

Nunc ad *medicinam clinicam* ejusdem auctoris confugio (paginæ 73). Prima observatio : « *juvenis quidam medicæ artis auditor, viginti sex annos natus, hiberno tempore ad studium cum nimiâ pertinaciâ incumbens, assiduè amphitheatra et hospitia consectans, à duobus mensibus cephalalgiâ tentatur, hanc nauseæ comitantur et post prandium somno involuntariè indulget.* Primâ morbi die, *horror cum calore alternans, febris parva et moderata, narium gravedo.* Tertiâ die, *epistaxis abundans.* Postridiè, *vomitus biliosi post ingestum tartritis antimoniatæ potassæ granum unum.* Nonâ die, *tristitia, morositas, idearum confusio, pulsûs depressio, mortis proximæ præsensio. Subitò coma profundum, sensibilitatis abolitio, cutis arida, fervida, trismus.* (Vesicatoria ad crura.)Decimâ die *delirium taciturnum, fixi oculi, pulsus, alternâ vice, debilis et fortis, depressus et durus, caloris anomalia, respiratio modò naturalis, modò abnormis.* Undecimâ die, *delirium jocosum aut triste ; hìc insensibilitas, illìc sensus exquisitus, oculi pulverulenti extincti, aut valdè à lumine offensi, nunc facies vultuosa, moxque pallida.* Duodecimâ die, *manè tranquillitas, serò agitatio ; carotica affectio.* (Guttæ aliquæ ammoniacis liquidi cum aquâ mixtæ.) Decimâ tertiâ die, *manuûm et labiarum tremor ; carpologia, tendinum subsultus, deglutitio nuper facilis nunc impedita.*

Quartâ et decimâ die, *vesicantium ulcera gangrænâ vitiata, vultus pallidus, cadaverosus, membra frigida, aphonia sudores frigidi et viscosi*; MORS. In tribus suprà citatis observationibus autopsia cadaverum abest, sed per inductionem huic absentiæ lector facilè supplebit.

Prima ex tribus his observationibus ab ipso Hippocrate et aliis interpretibus inter phrenitides collocata fuerat et plurimas similes in eâdem sectione præbuit. Si, phrenitis et arachnitis unus et idem morbus ut mihi demonstratum est, si ex alterâ parte phrenitis febri atactæ continuæ persimilis, sequitur naturalis hæc consequentia : *febris atacta continua nihil aliud quàm verà Arachnitis.*

Sed ne syllogismus, de quibus frequenter abutuntur, veris medicis sufficiat, aliquid addendum.

Patet, ex præcedentibus et pluribus aliis nosographiæ observationibus, febres atactas certam saltem cum Arachnitide analogiam habere, et ob propinquitatem in eâdem familiâ collocari debuisse; etenim iisdem causis gignuntur, imprimis animi pathematibus, amore decepto, mærore, irâ, vigiliis, helluatione, acrioribus studiis, insolatione. Equidem non absimilia sunt symptomata. In his duabus affectionibus functionum relationi : inservientium anomalia, sensuum exaltatio, perversio aut abolitio, et perpetua et inexplicabilis symptomatum confusio et inconcinnitas.

Tandem, sectis defunctorum cadaveribus, eædem læsiones deteguntur.

Unum tantùm adjiciam *de arachnitide chronicâ* : quod ad istius arachnitidis formam spectat, ætatis nostræ observatores in dubium mitti proposuerunt; nisi sub hoc nomine aliqui autores, hydrocephalum connatum, quædam mitia et symptomaticæ arachnitidis signa, hydropem capitis à secretione auctâ, sine arachnoidis inflammatione, aut etiam maniam chronicam cum remotis paroxismis, designare voluerint.

CONCLUSIONES.

1°. Temporis nostri scriptores arachnoidis inflammationem sub *arachnitidis*, antiqui verò sub *phrenitidis* nomine, quam lucidè et perfectè descripserunt.

2°. Supervacanea est arachnitidis acutæ et chronicæ distinctio; quin in errorem inducere posset permixtis aliis cerebri læsionibus cum serosæ capitis membranæ phlegmasiâ.

3°. Hydrocephalus acutus puerorum nihil aliud quàm arachnitidis modus seu varietas, ab illius ætatis lymphaticâ constitutione procedens.

4°. Febres atactæ continuæ arachnitidis formam aptè referunt, et profecto non absimiles, siquidèm exempla phrenitidis his febribus, ut *archetypum*, inservière.